

Onufri.


Dorfittum

o

n

T. o. 246.

808m



**ORATIO
DE DICTO AD
Colossenses.**

**SERMO CHRISTI HA
bitet in uobis abunde in om
ni sapientia, docentes &
admonentes uos.**

*Recitata à Georgio Maiore in promotio
ne Nobilis & clarissimi Viri, Domini
Georgij Veneti Theologie
Doctoris.*

Anno M. D. L.

VVITEBERGÆ.



ORATIO
DE DICTO AD CO-
lossenses,

SERMO CHRISTI HA-
bitet in uobis abunde in om-
ni sapientia, docentes &
admonentes uos.



IBI OMNIPO-
tenis Deus, æterne
pater Domini no-
stri Iesu Christi,
conditor cæli &
terræ & hominum & Ecclesiæ
tuæ, una cum filio tuo domino
nostro Iesu Cristo, crucifixo pro
nobis & resuscitato, & spiritu san-
cto tuo, sapiens, uerax, bone, iu-
ste, misericors, caste, liberrime,
gratias agimus, quod hactenus
in his regionibus seruas Eccles-

A ij siam

siam, tecꝝ ardentibus uotis Oramus, hæreditatem Filio tuo domino nostro Iesu Christo, collegas inter nos perpetuo, & protegas hospicia nostra, nec sinas apud nos extingui doctrinæ studia.

Cum autem in his congressibus recitanda sit commonefactio utilis studijs, pietati & moribus, institui nunc orationem de dicto Pauli, quod extat in Epistola ad Colossenses, his uerbis. Sermo Dei habitet inter uos abunde in omni sapientia, uosque doce te & emendate.

Hanc sententiam propter multas grauissimas causas saepius repetimus, Quia & diligentiam in discentibus exuscitat, & consolatur nos, qui propter hoc studium & propagationem huius

ius

ius doctrinæ non leues ærūm
nas sustinemus.

Nam bonæ mentes & discunt
maiore cura, & libentius tole-
rant labores & pericula, cum aus-
diunt mandato diuino præcipi-
hanc lectionem, & sciunt eam
Deo placere, & utilem esse.

Sæpe igitur nobis hanc ip-
sam Pauli commonefactionem
proponamus, & pondera uerbo-
rum consideremus.

Omitto hanc collationem,
qua multi scriptores utuntur.

Cum propter sapientiam &
ad mores regendos legantur phi-
losophica scripta, cur non magis
legerentur conciones diuinæ, in
quibus norma uitæ, sine ullo ero-
tore proponitur, & ostendun-
tur causæ, & de maximis in natu-

A iij rares

ra rebus, uera doctrina traditur,
de quibus Philosophiam, quam
quam alioqui satis loquax est, ta-
men mutam esse res ipsa testa-
tur.

Fortassis mouet aliquos hæc
collatio. Sed alia maior causa lege-
re diuina scripta cogit.

Non hæc natura rerum, & ge-
neris humani casu ex Atomis
confluxit, Sed uere est mens æter-
na architectatrix omnium, quæ
uestigia sua, toti naturæ impres-
sæ.

Vhicq; cernimus miranda ex-
empla sapientiæ & bonitatis di-
uinæ. Nec uero tantum in rerum
fabricatione se Deus ostendit,
Sed postea etiam uelut ex arca-
na sede prodiens humano gene-
ri se illustribus testimonij pate-
fecit, & clara uoce nos allocutus
est.

est. Et tradidit non solum uitæ
præcepta, quorum noticias ante
tea sparserat in mentes homi-
num, sed addidit aliam arcanam
sententiam de reconciliatione,
quæ fuerat ignota omnibus An-
gelis & hominibus.

Hanc tantam bonitatem Dei
agnoscere necesse est, Necesse
est agere gratias cum pro cætes-
ris beneficijs, tum uero pro pate-
factione. Et sunt ingrati ac furen-
tes, qui uocem Dei immensa bo-
nitate alloquentis genus huma-
num audire & cognoscere nos-
lunt, cum quidem & audienti sa-
lus proposita sit, & contemptus
sine ulla dubitatione æternis cru-
ciatibus luendus sit.

His ueris & necessarijs causis
omnium hominum animos ad
cognoscendam hanc doctrinam

A iij̄ moueri

moueri oportebat. Ideo Paulus
inquit, Sermo Christi habitet in-
ter uos.

Hic primum discernamus
Christi sermonem ab alijs do-
ctrinis, quod cum faciemus, per-
spicuum est commendari nobis
hos libros & hanc lectionem.

Aliarum artium initia nobis
cum nascuntur, ut Arithmetices,
Geometriæ , Architectonicæ,
imo & sapientiæ legis, postea il-
lustrantur usu.

Sed promissio de reconcilia-
tione, edita est uoce Dei, cum
prorsus ignota esset omnibus
creaturis, quam uocem deinde
per Prophetas & Apostolos uo-
luit Deus mandari literis, & exta-
re hæc scripta in Ecclesia. Hæc le-
genda & cognoscenda sunt, alio-
ter

ter enim sciri hæc uoluntas Dei
nequaquam potest.

Discrimen igitur inter Christi
sermonem & aliam sapientiam notum sit, Et propriam filij
Dei uocem studiose cognoscamus.

Sed cur usus est Paulus uerbo
habitandi? Primum totam Ecclesiam uult domicilium esse horum librorum, hic custodiri uult
hunc thesaurum promissionis a Deo traditæ, quam cæteræ gentes negligunt, & his libris reiecit
desinunt esse pars populi Dei. Idem fit in singulis hominibus.

Donec tuum pectus est domicilium huius doctrinæ, tantisper
es Ecclesiæ ciuis, & membrum populi Dei. Nequaquam sunt ci-

A s ues

ues Ecclesiæ , qui nec legunt , nec
audiunt hanc doctrinam.

Et non solum perpetua conseruatio in uerbo præcipitur , sed etiam dulcissima familiaritas significatur . Ita familiariter & saepe colloquaris cum Christo , cum patribus , prophetis , & Apostolis , ut colloqueris cum ijs in familia tua , quos præcipue amas & cum quibus omnes tuas curas communicare soles .

Ac reuera Deus in illo pectore habitat , quod hanc doctrinam cogitat , amplectitur & amat . Quod est autem maius bonum , quam hæc Dei familiaritas : qui hoc domicilium ita custodit , ut simul impertiat suam sapientiam , iustitiam , & uitam æternam .

Multi sunt autem gradus negligendi

gligentium hanc familiaritas
tem.

Notissimi sunt Epicurei, qui
hos libros tum derident, tum
oderunt.

Proximi sunt Hypocritæ, qui
et si sua deliramenta & idola an-
teferunt Deo & his libris, tamen
ut fucum faciant populo, ad suas
cupiditates multa dicta sophisti-
ce inflectunt.

Horum cum sint manifesti fu-
rores, non dicam nunc de eis
prolixius, tantum oro Filium
Dei, ut reprimat diabolos & illa
diaboli organa, ne in Ecclesia
multis noceant.

Alij sunt minus mali, sed ta-
men segnes, qui non oderunt
doctrinam, sed uelut saturi fastio-
diunt, postquam semel atq; ite-
rum legerunt, existimant se too-
tam

tam Dei sapientiam exhausisse,
ac relectionem nec necessariam
nec utilem esse.

Horum fastidia ualde taxan-
da sunt.

Nam crebra lectio non tan-
tum hoc adfert, ut totum doctri-
næ corpus fiat notius, sed etiam
accendit motus animi, flectit ad
pænitentiam, incutit terrores,
exuscitat inuocationem, medes-
tur doloribus.

Hæc cum siant, lectione &
cogitatione sermonis diuini, assi-
duitatem in legendō necessarię
am esse confitendum est.

Sed hic Enthusiastæ quidam
reclamat. Absit, inquiunt, ut les-
ctioni tribuamus hæc incendia,
quæ proprie a Spiritu sancto ori-
untur, qui non inclusus est syllab-
is & figuris literarum, sed cum
ipſi

ipse libet, rapit suos quosdam,
scriptos in fatalibus tabulis.

Scio multorum studia languesciri
hac opinione, & ualde doleo
etiam doctos quosdam has per-
suasiones & amare & confirmare,
quibus omnibus oppono lus-
culenta testimonia que labefacta
ri nullo modo possunt,

Nota uox est Pauli, Euangeliū
est potentia Dei ad salu-
tem omni credenti, Item, Fides
ex auditu est, Item, Euangeliū
est ministerium Spiritus.

Non hic quidem sentit in-
clusum esse Spiritum sanctum in
literarum figuris, sed celebrat
immensam bonitatem Dei, qui
hunc ipsum ordinem & agendi
modum instituit.

Alloquitur summa clemen-
tia genus humanum, uult audiri
suum

suam uocem, ibi uult conspicis
am uoluntatem, ha cuoce, cum &
cogitamus eam, & luctamur in-
ter trepidationes, ut pauida
mens ad sentiat, & nos erigi
petimus, uerissime Spiritus san-
ctus est efficax.

Sepone iam tabulas illas fata-
les, quas inquirere non est no-
strum, Huc flece mentem, quo
te uocat Deus.

Vniuersa doctrina cælestis
clamitat, Deum ex suo sermone
cognoscendum esse, mandatum
omnium summum esse, ut hæc
ipsa scripta prophetica & Apo-
stolica audiantur, ut in Deo men-
tes acquiescant, iuxta hæc testi-
monia, quæ ipse tradidit.


Hæc non ab ociosis, securis,
& ebrijs admiratione sui, iudica-
ri pos-

ri possunt. Sed ab ihs, qui ueris
doloribus oppressi sunt.

Homini consternato qui ad
supplicium ducitur, quid dices?
Num iubebis ut disputet de Ele-
ctione? An non potius uocem
Euangeli propones, quæ certo
reconciliationem offert, & simul,
ut Baptista, monstrabis agnum,
Filiū Dei, & repetes hanc con-
cionem, quæ præcipit ut hunc
audiamus, ab omnibus uult ag-
nosci Filium æternus pater, &
propter eum certo nos & gratis
recipit.

Hanc uoluntatem cum expre-
sserit in suo sermone, non tribu-
amus ei simulationem, non fin-
gamus in eo contradictorias
uoluntates.

Ac sentiet ille consternatus,
reddi sibi uitam intuenti in filio
um



um Dei, & cogitanti eius uocem,
Venite ad me omnes qui labora-
tis, & onerati estis, & ego refici-
am uos. Sæpe etiam in hac lucta
gemens clamabit. Credo Domini
ne, Sed opem fer diffidentiae
meæ. Hoc se ordine, hac conso-
latione, Propheta sustentat, cla-
mitans, Expecto Dominum, ex-
pectat anima mea, & iuxta uer-
bum eius spero.

Sciamus igitur non infrui-
et uosam esse lectionem sermo-
nis diuini, Sed Spíritū sanctum
hac ipsa uoce accendere pecto-
ra, sicut & alibi inquit paulus ut
per consolationem scriptura-
rum spem habeamus.

An literæ & sillabæ dolores
leniant, & uitam reddant ins-
quiescimmo uero Deus te ad hæc
scripta retrahit, in his uolunta-
tem

tem suam uult conspici, & ho-
rum cogitatione mentes mouet
& accedit.

Dixi multo breuius de utilita-
te lectionis, & de motibus spiri-
tus sancti, quam magnitudo rei
postulat. Sed haec ipsa utilitas
ostendit, dulcissime dictum esse.
Habitet uobiscum sermo Dei.

Simul enim sit mens domici-
lium spiritus sancti, in qua sermo
diuinus habitat. Hanc esse gra-
uem discendi & legendi causam,
omnes intelligunt.

Additae sunt autem exaggera-
tiones & admonitiones. Habitetur
inquit, inter uos abunde in om-
ni sapientia. Vult saepe multum,
q[uod] legi scripta prophetica & A-
postolica, & uult ea sapienter con-
siderari.

Non legunt sapienter Haeres-
B tici

m,
ra-
ci-
sta
ni-
ciæ
so-
la-
ex-
er-
pid
ru-
ao-
um
co-
ut
ra-
res
na-
ec
ca-
m

tici qui non ex ipsis fontibus hau-
riunt sententias, sed adferunt sua
quædam somnia, deinde excer-
punt mutila dicta quæ transfor-
mant in alienas sententias. To-
tum corpus doctrinæ intuen-
dum est, & uidenda membro-
rum concinnitas, & ut ita dicam,
harmonia.

Ludit Samosatenus in dicto.
In principio erat λόγος. Cur inquit
λόγος intelligis personam, cum
λέγεται sit actio. At sequens tota nar-
ratio ostendit λόγος personam
esse. Adhibenda est igitur sapien-
tia in conferendis partibus. Nec
stulte dictum est ab Epiphanio.
τῶντα τὰ θεῖα ἥκματα δικεῖ αλληγορίας δῆ-
ται ἀλλὰ ὡς ἔχειθεωρίας δὲ δῆται καὶ φιλο-
σοφίας οὐσία τὸ εἰδέναι ἐκάστης ὑποθέσεως πλή-
θιναμιχ. Diuinus sermo non indis-
get allegorica interpretatione,
Sed

Sed in propria sententia intelli-
gatur. Indiget autem speculatio-
ne & sensu, ut materiae discernan-
tur & recte accipientur.

Nominat Theorian uiam
docendi, genus sermonis intelli-
gi. oportet, accedat & sobria,
non garrula & cauillatrix diales-
tica, teneantur diuisiones genes-
rum. Aliud lex est, aliud promi-
ssio gratuita reconciliationis,
aliud est Ministerium Euanges-
lij, alia res politica gubernatio.
Aliud actio quæ nominatur Sa-
cramentum, aliud res extra acti-
onem. Deniq; sani hominis est,
non in unum chaos confundere
uniuersam doctrinam, Sed, ut fit
in docendo, numerum, distinc-
tionem, ordinem, & iudicium ad-
hibere.

Hanc diligentiam nominat
B ij Epi,

au
sua
ers
or-
'o'
eno
ro'
m,

to,
uit
im
uar
am
ien
Nec
io.
dē
dō
rlw
dis
ne,
ed

Epiphanius Θεωρία. Deinde & sensum uult adhiberi, id est, medium experientiam.

Homo otiosus & nunquam expertus magnos dolores, non intelligit exercitia Fidei & Spei. Itaque uocabula etiam corrumptunt. Monachis fides tantum noticiam significat. Peccatum illis tantum significat scelus, quod uoluntatis electione factum est. Denique in multis negotijs alia sunt iudicia rudium, alia peritorum quos usus erudit.

Est hæc quoque sapientia in legendendo necessaria, saepius repetere materias quæ prosunt, ut Paulus nominat, ad ædificationem, quales sunt conciones de pænitentia, de fide, de uera inuocatione, de ueris cultibus, & enarrationes articulorum Fidei, & res linques

linquere argutias quarum non
est usus, ut olim erant rixæ de
Genealogijs, de die crucifixio-
nis, de fermentato.

Et cum ingeniorum magna
sit dissimilitudo, multi uel studio
subtilitatis, uel amore cauillatio-
num uehuntur extra metas, & ut
ueteres dicebant, $\pi\omega\varphi\tau\alpha\dot{\epsilon}\sigma\kappa\alpha\mu\mu\lambda\alpha$,
multi fascinati consuetudine,
uel odio, & alijs affectibus, mors-
dicus retinent etiam tetra delira-
menta.

Frenandæ sunt igitur men-
tes, & cohercendæ in obsequi-
um Christo, ut Paulus inquit.
Cauendum ne adplausu multitu-
dinis, ne dulcedine subtilitatis, ne
 $\phi\lambda\alpha\psi\lambda\alpha$, ne amore contentionis,
ne factionum studijs, ne fracti-
metu, abducamur a ueritate.

B ij

Hæc

Hæc & alia multa Paulus monet, cum ait. Habitetur inter uos Sermo Dei in omni sapientia. Scio autem multo plura complecti Paulum in hoc dicto, quam hæc quæ recitaui. Nec quisquam euoluere totam Pauli sententiam potest, Sed tamen uerba aspicienda sunt, & consideratio subinde plus adferet lucis, Ac adolescentes, ut se ad lectionem inuitent, hoc dictum mandent memorie, & ut sit obuium oculis & menti, Scribant & in parietibus & in uestibulis librorum, & sciant hanc uocem traditam esse, & ut sit hortatrix ad discendum, & ut sit consolatio, ut labores & ærumnas quæ hoc studium comitantur, fortius toleremus.

Cum enim certum sit Deo placere

placere hoc studium, & Deum
adesse discentibus, & ad cælestis
Ecclesiæ consuetudinem hac do-
ctrina homines duci, horum ins-
gentium bonorum cogitatio
lenit dolores, & animis in hoc
cursu robur addit, quos quis-
dem ut regat & confir-
met Filius Dei, toto
eum pectore oro.

Dixi.

B iiiij Cons

CONCESSIO
LICENTIAE A REVE-
rendo viro Domino Iohanne
Bugenhago Theologiæ Doctori
re & Pastore & Decano
facultatis Theologiæ ac
vicecancelario.



HRISTVS FLS
lius Dei Dominus
noster dicit Mes-
sis multa, Opera-
rij pauci, Rogate
ergo Dominum
messis, ut mittat operarios in me-
ssem suam. Hoc ego iam multis
annis deum rogaui, Et nunc se-
nex, et exhaustus multis labori-
bus et temptationibus, in quibus
tamen mirabiliter seruauit &
confortauit me Deus, ardentius
oro Patrem Domini nostri Iesu
Christi, ut mittat operarios in
messem

messem suam, tantum abest Clas-
sissi. Domine Doctor & charissi-
compater, ut non faciam cum
gaudio quod postulas, nomine
totius collegij Theologici, pro
hoc Generoso uiro et Domino
Georgio Veneto Prutenio, qui
sua pietate, eruditione et morum
integritate, satis est nobis com-
mendatus, toti huic Ecclesiæ,
Scholæ & ciuitati.

Igitur autoritate publica qua
fungor nomine totius Senatus
Theologici, concedo et do huic
G. Veneto licentiam, quam uo-
camus, & potestatem, ut accipiat
Nomen et Officium aliacq; insig-
nia Doctoralia in Sacra Theolo-
gia, ad Gloriam dei, in salutem
multorum, in Nomine Patris &
filij & Spiritus Sancti, Amen.

Vade
Dominus sit tecum.

ORATIO
CLARISSIMI ET
NOBILIS VIRI DOMI-
ni Georgij Veneti Theologiæ
Doctoris, post collata ins-
ignia Doctoralia,
habita.

 **H**ONESTISSI-
mum est in publi-
cis congressibus &
inuocationem dei
fieri, et recitari com-
monefactiones pias & utiles au-
dientibus.

Cum igitur mihi propter
scholaisticam consuetudinem alio-
quid dicendum sit, delegi notissi-
mi dicti enarrationem, quod ex
Salomone citatur. Nescit homo
an

an amoreuel odio dignus sit, Sed
omnia in futurum seruantur.

Etsi autem & propter meam
confessionem de his uerbis Salos-
monis dicere decreui , tamen
& iuuentuti prodesse existimo,
crebram repetitionem huius dis-
cti, et reprehensionem falsæ &
pernicioſæ interpretationis. Scis-
tis enim non solum a Monas-
chis, sed ante triennium etiam
in Synodo Tridentina recitatum
esse in ipso Decreto, ad confirmā-
dum impium errorem, qui iubet
semper dubitare, an Deus nobis
remiserit, & receperit nos.

Vt autem dolendum est tan-
tas superiori ætate tenebras fuis-
se, ut hunc errorem plurimi tan-
quam dogma pium et necessari-
um in Ecclesijs tradiderint, ita
nunc detestanda est impudentia
Episco-

Episcoporum et Monachorum,
qui postquam illuxit ueritas, ta-
men contra conscientiam res-
tinent & defendunt manifesta
mendacia, putant enim labefas-
cari autoritatem confessione
erroris.

Manifestissima sententia est
Salomonis, homines ex exter-
nis euentibus, ex rebus secundis
uel aduersis, non debere iudicare
de se uel de alijs, an Deo placeat,
aut displiceant. Semei & alij mul-
ti Dauide pulso in exilium existi-
mant eum a Deo abiectum esse.
Sed alij pij norant non ex illis
spectaculis iudicandum esse. Ne
ipse quidem Dauid his externis
aerumnis frangitur, sed scit de
uoluntate Dei ex uerbo iudicari-
dum esse. Et iam audierat uocem
Prophetæ . Dominus abstulit
tonique Pecca-

peccatum tuum. Ita uult Salomon nos a spectaculis ad uerbum deducere.

Etiam si imperij et uictoria rum gloria & opibus floret Alexander, tamen non putet se place re Deo, cum iniuste interficit amicos, ut eum Anaxarchus scur ra potius, quam Philosophus consolatur, qui dicebat, Tantum Regem diuinitus gubernari, nec peccare posse. Hac confidentia uanissima cumulauit postea Alexander suos furores et scelera.

Rursus Dauid pulsus in exilium, et si non solum excruiciabatur corporis ærumnis, sed etiam magnorum scelerum conscientia, tamen sustentat se consolatione in uerbo Dei proposita. Ac sciendum est uniuersaliter doctrinam

nam Ecclesiæ nequaquam esse il-
lam Academicam uel Pyrrhoni-
am dubitationem.

Vniuersaliter sciant omnes
agentes contra conscientiam se
certissime displicere Deo, sicut
scriptum est, Propter hæc uenit
ira Dei super inobedientes. Item
Nolite errare, Deus non irrides-
tur, Adulteri, Homicidæ, Idola-
træ non possidebunt regnum
Dei.

Rursus etiam uniuersaliter
sciant omnes agentes poenitenti-
am, certo se recipi a Deo propter
Filium gratis sola fide, id est, cum
dubitacioni, repugnant, & ex ea
eluctantur, et credunt se propter
Mediatorem certo gratis recipi.
Hæc est uox Euangeli propriissi-
ma, de beneficio filij Dei.

Qua-

Quare Synodus Tridentis
na & omnes qui dubitationem
illam, de qua loquuntur, adpro-
bant, sunt hostes Christi, & des-
tent Euangelium Dei, et obruunt
immēsa beneficia filij Dei. Cūq;
de re maxima in eo dicto sit con-
trouersia, ualde prodest iunio-
res s̄aepe commonefieri, ne uox
Euangelij, ne ueritas æterna, ne
gloria filij Dei, obscurentur, &
ne homines in æternum exitium
et in horribile odium Dei ruant.

Ego igitur & amplector ue-
ram enarrationem, & Deo gra-
tias ago toto pectore, quod lus-
cem suam restituit, & eum oro,
ut non finiat eam rursus extin-
gui.

Adolescentes etiam adhor-
tor, ut & Deo grati sint pro re-
stituta

stituta Euangelij luce , & sint in
discendo diligentiores , ut Dei
donum tueantur . Scimus enim
preceptum esse . Honestū
depositum custodi per
Spiritum sanctum ,
qui in nobis
habitat .

Dixi

Questio


A B 101963(1)

ULB Halle
003 924 378

3



77 → 8L



Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



ORATIO DE DICTO AD Colossenses.

SERMO CHRISTI HABITET in uobis abunde in omni sapientia, docentes & admonentes uos.

Recitata à Georgio Maiore in promotio-
ne Nobilis & clarissimi Viri, Domini
Georgij Veneti Theologie
Doctoris.

Anno M. D. L.

VVITEBERGÆ.

